3

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE

ABORTU

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI D.
PRAESIDIS ET DIRECTORIS
SPECTABILIS
DOMINI DECANI,
NEC NON
CLARISSIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE ET LEGITIME OBTINENDA
IN ALMA AC CELEBERRIMA REG. SCIENTIARUM
UNIVERSITATE HUNGARICA
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

JOSEPHUS KALLIVODA,
ESSEKINO VERŐCZENSIS.

Theses adnexae defendentur in palatio Universitatis minori die Martii 1843.

BUDAE,
typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Causa, sed —, officiumque fuit.

Ovidius.

SPECTABILI AC CLARISSIMO

DOMINO

LEOPOLDO BISCHOFF

MEDICINAE DOCTORI,

INCLYTI COMITATUS VERÖCZENSIS

PHYSICO PRIMARIO;

PLURIUM INCLYTORUM COMITATUUM

TAB. JUD. ASSESSORI

etc. etc.

VIRO

SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA

INSIGNI

SVAVITATE MORUM BENEVOLAQUE

HUMANITATE

EXIMIO

IN PIGNUS PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS

HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS

DEDICAT

devinctissimus

Auctor.

Partus, relate ad tempus graviditatis quo contingunt, dividuntur:

1-mo in inmaturos, 2-o in praematuros 3-o in maturos, 4-to in serotinos. — Partus inmaturus dicitur qui primis sex graviditatis mensibus contingit, quoque foetus non vitalis ex utero matris excluditur. — Praematurus est partus qui contingit septimo aut octavo graviditatis mense, vel primis noni mensis hebdomatibus, quo foetus excluditur sat evolutus viribusque pollet necessariis ad continuandam vitam, dummodo solicita adhibeatur cura. — Maturus partus nominatur qui fine mensis noni solaris, decimi lunaris locum habet. — Serotinus est qui absoluto normali graviditatis tempore, post nonum videlicet mensem solarem contingit. — Mihi solum de inmaturo tractandum erit.

Partus inmaturus, aliter abortns, uti jam dictum, est expulsio ovi eo tempore graviditatis, quo foetus ad vivendum iners, ut nedum vitalis consideratur, locumque habet primis sex graviditatis mensibus.

Quam plurimi abortus contingunt primis tribusgraviditatis mensibus. Causa huius videtur fundari in nimis laxo, ac nunc adhuc nimis inperfecto, tenero nexu matrem inter et foetum, nec non aucta vitalitas uteri, producta per conceptionem. Unde his semet ita habentibus contingit, ut poten-

tiis nocivis mitioribus licet agentibus, abortus provocetur. — Imprimis abortum patitur mulier eo tempore, quo in statu non gravido menstruatio locum haberet, hinc probabilis fit sententia: quod etiam sub statu uteri gravido, certus asvetusque Typus semet insinuet, majorem congestionem sanquinis in systemate uterino inducens, et hinc sensibilitatem ac vitalitatem organi per graviditatem iam sat evectam, adhuc magis exstimulet. — Minori in copia contingunt abortus post tertium quartumve mensem graviditatis, nam nunc nexu arctiore, per perfectiorem evolutionem placentae funiculique umbilicalis effectuato, uteri stimulo adsveti vitalitas ac sensibilitas decrescunt. Videtur tamen insequens mensis septimus ad expellendum foetum inmaturum pronior, e causis minus manifestis.

Causae abortum producentes generatim sunt aut dynamicae, aut mechanicae. Dynamicae agunt vel primarie, quatenus uterum potentius stimulando, contractionem eius praematuram solicitant; vel secundarie, quatenus in corpus maternum ita agunt, ut id ad sustentandum processum graviditatis impar reddatur, sicque cohibita ovi nutritione ac ulteriore evolutione, eiusdem debilitate morteque subsecuta, uterus stimulo peregrino irritatus, ad praematuram contractionem concitetur. Causae dynamicae hae fundantur aut in corpore materno, aut in foetu, aut vero tamquam potentiae nocentes externae agunt. — Causis mechanicis agentibus sequitur abortus: quatenus solutio vinculorum, foetum et uterum intercedentium, partialem aut totalem inducunt, qua e causa haemorrhagia ac tandem partus ipse subsequitur. Causae mehanicae sunt aut externae, aut internae.

Causae dynamicae

I. Internae

A, In corpore materno fundatae.

1. Dispositio abortiva, habitualis, qua fit ut abortu iam semel locum habente, insequentis graviditatis abortus, adhibita licet solertissima cura prophylactica, praecaveri non possit. Augetur dispositio haec eo magis, quo plures iam abortus progressi fuerint obvenitque cumprimis in individuis debilibus, exhaustis, labe aliqua donatis. 2. Omnes morbi universales gravidarum, inprimis febres, inflammationes, ex his maxime organorum cavo abdominis contentorum, exanthemata, discrasiae, uti: hydrops, arthritis, scorbutus, syphilis, phtysis etc. spasmi hysterici, epileptici etc. Organismus maternus his morbis adeo adgreditur, ut processus vitalis eiusdem ad corservationem individui proprii intentus, nutritionem foetus negligat, sublato nunc comertio ovum inter et matrem foetus demortuus uterum corporis peregrini adinstar ad contractiones inpellit. 3. Mala topica, uti: herniae, tumores diversi in abdominis aut pelveos cavo, morbi organici tubarum Fallopii, orificii uterini, vaginae. Quam maxime vero morbi uteri ipsius, uti: sensibilitas eiusdem exaltata, laxitas, atonia, inflammatio, induratio, scyrrhus, carcinoma, hydrometra, polypi, steatomata, sarcomata; antroversio, retroversio, prolapsus uteri, nec non situs obliquus, aut concrescentia eiusdem cum organis vicinis. His anomaliis uterus ad mutationes sub graviditate contingeutes incapax redditur, nutritio simul ovi his malis pervertitur. Ad haec mala adnumerandae sunt etiam omnes abnormitates pelveos, quae partim pressione, partim

eo, quod situm uteri abnormen reddant, partum inmaturum provocant. 4. Plures semet brevi tempore excipientes graviditates, quibus et totius organismi et uteri vitalitas labefactatur. 5. Lactatio usque in secundam graviditatem protracta, qua per revulsionem humorum, nutritio foedus valde larga conceditur. 6. Graviditas contingens aetate nimis tenera, aut vice versa nimis provecta. 7. Animi affectus deprimentes quibus vita plastica exhauritur; et excitantes quibus sistema vasorum et nervorum nimis intenditur.

B.) In ovo locum habentes.

1. Anomaliae placentae, et quidem: absentia, situs abnormis, aut evolutio morbosa eiusdem, huc: hypertrophia, inflammatio, induratio, hydatides, concrementa calcaria, degeneratio in massam sarcomatosam etc. His functio placentae inpeditur, quibus mors foetus brevi insequitur. 2. Status obnormis funiculi umbilicalis, huc brevitas, obliteratio vasorum umbilicalium, anevrisma, coarctatio luminis vasorum per compressionem etc. 3. Status morbosi velamentorum foetus, vesiculae umbilicalis, et alantoidis. 4. Liquoris Amnii obnormis conditio, huc indoles eius nimis acris, aut nimis aquosa, parum nutriens, ceteraeque qualitate aut quantitate peccantes anomaliae. 5. Denique causae in ipso foetu residentes, huc pertinet imprimis nimis celer monstrosaque evolutio eiusdem aut morbi diversi, ut: inflammatio cerebri aut aliorum organorum, quibus evolutio eius denegatur. Huc quoque numeratur numerus foetus inconsvetus, sic facilius contingit abortus dum adsunt gemini, trigemini etc.

I. Externae.

1. Varia conditio aeris Atmospherici, variaeque inter temperaturam, electricitatem, ac pressionem rela-

tiones. Sic jam Hippocrates observavit quod tempore vernali humidiusculo saepius abortus contingat. — Celeb. vero von Siebold observat tempus pluviatile diutius protractum abortui favere. 2, Aestus de aestate nimius; frigus de hyeme rigidum. 3. Constitutio endemica, sic proveniunt abortus majori numero in diversis regionibus; causa huius in certa pravaque conditione soli, nec non in prava consvetudine, vitae ratione etc. sita est. 4. Errores diaetetici, sic: abusus potulentorum ac ciborum nimis nutrientium, aut stimulantium, aut indigestibilium. Jejunium diu nimis protractum, vita sedentaria, imprimis in domiciliis humidis. Constrictio pectoris ope thoraculorum, lectio librorum romanensium. Denique maximi momenti coitus. Nulla tam potenter agit causa perque nullam potentius intenditur systema vasorum nervorumque tam universale quam uterinum, quam per coitum. Hic partuum inmaturorum fons uberrimus. 5. Remedia purgantia drastica, nec non diuretica acria, emetica; aut sic dicta emenagoga. Evacuationum sanquinis universalium aut topicarum, balneorum universalium aut localium abusus.

Causae mechanicae.

I. Internae.

Omnis nixus vehementior adhibitus sub tussi, vomitu, depositione alvi, porro situs uteri anomaliae, nominaliter retroversio, nec non et separatio ovi ab utero per diversas degenerationes eiusdem inducta, uti: polypos, carcinoma etc.

II. Externae.

Commotiones validiores corporis materni, sic per ictum, saltum, lapsum, equitationem, vectionem in curru via male structa, coitum rudem, per nisum majorem adhitum sub levatione aut portatione ponderum etc.

Decursus ratio abortus generaliter differt a partu normali: longiori duratione, majori sanguinis iactura sub expulsione ovi, nec non statu gravidae morboso. — Praecedunt autem abortum horripilationes cum calore alternantes, dedolatio univarsalis, sensus aegritudinis et ponderis in artubus, vertigo, animi deliquia, capitis gravedo; inquietudo, cardiopalmus, pervigilium, animus prostratus, anorexia, linqua muco tecta, halitus oris foetidus, sopor oris putridus, tensio in regione inquinali ac lumborum, sensus ponderis in sacrali regione, nisus urinam mittendi frequentior, effluvium e genitalibus aquosum, iam mucosum, iam sanquinolentum odoris ingratissimi, et tandem haemorrhagia periodice inter dolores, iis ad partum simillimis, recurrens. — Investigatione invenitur uteri segmentum inferius profundius locatnm, orificium uteri laxum apertum.

Attamen quamquam haec symptomata adsint, semper tamen non sequitur abortus, sed diagnosi accomodata rationali therapia, causarumque excitantium felici remotione saepenumero abortus praecavetur. — Praecaveri tamen amplius non potest, dum mortem foetus indicantia symptomata adsunt, uti: motus foetus ad semel validus, dein penitus silens, horripilationes intensiores, febris symptomata manifesta, dedolatio artuum insignis, dum abdominis volumen decrescit, dum uterus minus durus, mobilior videtur, dum sub diverso aegrae situ mutatur et situs uteri, mammae concidunt flaccidaeque liquidum serosum secernunt. His symptomatibus praesentibus interdum post diem unum alterumque, raro post septimanam insequitur abortus.

Varius est abortus a diversitate causarum excitantium ac a diverso tempore graviditatis quo contingit. — Primis tribus mensibus graviditatis symptomata abortus vix observantur, ita, ut ovum, uno alterove die elapso, sub doloribus periodicis, majore aut minore metrorrhagia praesente, excludatur.

Tali modo contingens abortus raro observatur, foeminaque ipsa menstruationem dolorificam accusans, vix adtentionem suam in eum dirigit. — Interdum contingit, ut ore uteri minus dilatato, ovum ab utero avulsum in eodem permaneat, tum, haemorrhagia et doloribus cessantibus, evolvitur febris eousque durans, donec ovulum putredine consumtum partialiter ut materia foetens ichorosa e genitalibus effluat. — Aliter se habet abortus formata iam placenta, sub doloribus atrocibus et haemorrhagia sat larga formatur vesica, qua rupta, liquor amnii sanguine remixtus effluit, et paulo foetus situ quocunque, cum sit tener flexilisque, expellitur. Rarius evenit hoc graviditatis tempore, ut ovum cum secundinis ad semel excludatur, sed saepius evenit, ut post expulsionem foetus per dies plures imo septimanas secundinae remaneant.

Sub puerperio eadem fere observantur, quae post partum maturum, fluxus lochiorum tamen saepius copiosior, systematis cutanei functione magis vigente, copiosus sudor elicitur, in mammis secretio fluidi lactiformis contingit. In genere tamen longiori tempore indigent foeminae abortu laborantes ad recuperandas vires, quzm foetum maturum parturientes.

Prognosis variat pro temporis graviditatis, causarum excitantium, decursus, sanguinis iacturae ac complicationis constitutionisque matris ratione. Primis mensibus contingentes abortus minori stipantur periculo quam ii serius, foetu magis evoluto, causis mechanicis provocati. Ad periculosas raferimus complicationes variolas, scarlatinam, morbillos, ac dissenteriam. Haemorrhagia durante abortu, aut eodem absoluto, nulla — aut irrationali therapia adhibita, saepe necis causa fuere. — Magnis stipatur periculis dispositio abortiva, qua fit ut abortus semet brevi tempore excipientes sanitatem mulieris penitus subvertant, variaque vicia tam uteri, uti: fluor albus, metrorrhagiae, irritabilitas exaltata:

quam universalia inducantur, uti: febris hectica, cachexiae aliae, hydrops, non raro phtisis.

Tractamen abortus.

Cura abortus est I. prophylactica. Dum prodroma abortus praesentia sunt, aut dum is iam inchoaverat, cura omnis eo dirigenda est, ut expulsio ovi praematura impediatur, ni iam adsint signa demortui foetus, aut haemorrhagiae lethales, nec non coarctatio pelvis. — Dum os uteri iam apertum, dum liquor amnii iam efluxerat, dumque dolores ad partum magis magisque increscunt, tunc abortus nulla ratione praepediri potest. hinc exploratio quaevis interna cautissime instituenda, ne per hanc irritationem contractiones uteri sollicitentur. — Dum momentorum adlatorum nullum praesto, tum ad praecavendum abortum sequentia fiant oportet: foemina lecto procumbens situm horizontalem quietum observet, omnia quae quietem illius perturbare, animique effectus excitare valerent removeantur, temperatura cubilis sit moderata, aer purus, aegra ab omnibus cibis, potulentis medicaminibusque excitantibus abstineat; his in effectum deductis solerter in causas excitantes indagandum, et hae quo otius removendae. Si causa sit inflammatio, synocha, plethora, hae venaesectione, aut aliis remediis antiphlogisticis cuilibet individualitati competentibus, removendae. Praesente sensibilitate exaltata aqua laurocerasi, extractum hyosciami aut alia narcotica adhibenda, opii usus tamen restringendus, magnaque sub huius adplicatione circumspectione opus. Ad irritabilitatem uteri minuendam commendatur pulvis rad. Ipecacuanhae a $\frac{1}{6}$ — $\frac{1}{3}$ grani partem pro dosi. — Si causa excitans sit malum Rheumaticum, aut Catarrhus aut Dyssenteria, aut morbus alter, tunc contra hos principaliter lege artis procedendum. Magnum respectum meretur alvi constipatio, quae potius remediis leniter agentibus eccoproticis, clysmati-

busque emollientibus quam heroicis solvenda. — Metrorrhagia exorta iuxta gradum, indolem ac naturam, diversam exposcit therapiam.

II. Cura abortus ipsius. — Cum abortus praecaveri amplius non possit; excitatus nimirum causis nulla ratione removendis, uti anomaliis in ipso ovo fundatis, vel vero dum, adhibita licet rationali therapia, os uteri ampliatur doloresque ad partum magis magisque augeantur; tunc secunda curae pars subintrat, nimirum cura abortus ipsius, quae in eo consistit ut pericula per eundem producenda aut removeantur, aut leniantur. Nulla haemorrhagia majore, aut alio periculo, momentaneam remotionem ovi exposcente, praesente, partus negotium naturae viribus relinquere tutum. His sub rerum adjunctis aegra supranominatum situm, quietemque animi corporisque retineat necesse. Diaeta eadem ut supra observetur. Ab investigatione omni abstinendum, cum per eam haemorrhagia facile augeatur, dilatatio oris uteri dolorosa lentaque evadat. Nixus omnis interdicitur. — Debilitate nonnisi vera praesente adhibentur, cauta tamen manu, roborantia.— Tractamen pro vario graviditatis tempore variat. Contingente primis quatuor mensibus abortu, saepius evenit ut foetus una cum secundinis excludatur; ruptis velamentis omnes particulae quam diligentissime coligendae, ut, an quid in utero restet resciatur: Partes ovi utero adhuc adherentes caute digito (si possibile) solvendae, quod cum fieri nequit, injectiones ex infuso Chamomillae instituendae, cumprimis si notabilior haemorrhagia adsit. Non raro partium restantium resolutio in putredinem insequitur, tunc injectiones hae continuandae, orificio vero uteri spongiae marinae frustillum intrudatur decocto emollineti immersum.— A 4-to — 7-um graviditatis mensem si contingat abortus, tunc vesica rupta, liquoreque amnii evacuato, foetus in situ plerumque irregulari expellitur. Hoc tempore evenit ut velamenta ab utero necdum soluta, in eodem remaneant,

tunc iteratis vicibus majori temporis interstitio caute funiculus umbilicalis trahatur. Lacerato hac operatione tenero laxoque funiculo placenta cum velamentis soluta manu eximatur, placenta adhaerens nunquam vi eximenda sed separatio eiusdem naturae relinquenda erit. — Non raro evenit, ut formata vesica gravis periculosaque Metrorrhagia se insinuet, tunc remedia ad hanc sistendam indicata adhibeantur, imprimis vero turunda e linteo carpto orificio uteri inponatur, si his adhibitis Metrorrhagia periculosa continuat, ruptura vesicae indicatur, ut partu solicitato, contractiones uteri remediis optis provocentur.

III. Cura puerperii. Partim longiori duratione partus ipsius, partim jactura sanguinis majore debilitas virium nimia inducitur, hinc ante omnia quies necessaria. Aegra lecto procumbens moderate obtecta sit, ut transspiratio cutanea augeatur, lectumque eo usque custodiat necesse, donec fluxus lochiorum haud cruentus adsit. Evitanda sunt omnia irritantia, victu utatur tenui, blando, parum nutriente, potus sit aqua, et secus omnis cura sic uti in puerpera sana instituenda, complicationes morbosae iuxta earum indicationes tractandae. Singularem considerationem meretur foetus vivus inmaturus. Temperatura cubilis quoadfieri potest sit aequabilis a 17-mo usque 18-mo Reaumure. Foetus post balneum involvatur linteis calefactis, vitanta erit omnis pressio aut fasciatio, sicque pone matrem ponitur. Balnea nutrientia quotidie ter quaterve adhibenda e decocto furfurum, vel e lacte, aut jure carnis constantia, infans balneo usque 28 — 29-o Reaumure calefacto inpositus, in eodem per mediam horam relinquatur. Minus proficua sunt balnea quae passim adhibentur animalia. Suctio omni modo facilitanda, exhibeatur saepius cochlearculo lac dilutum, vel potius propinetur id e vitro suctorio, si infanti vires ad sugendum necessariae concessae. Diligenti cura saepe infantes tenerrimi, minima spe praesente, conservati fuere.

IV. **Cura dispositionis abortivae.** — Ad causam dispositionem hanc sustentantem detegendam solers inquisitio organismi muliebris instituenda est, habita ratione constitutionis, temperamenti, status systematis vasorum nervorumque, cutis, organorum chylo — et uropöeticorum, cumprimis genitalium. Ex his singularem adtentionem meretur systema uterinum. In his organis obvenientes anomaliae iuxta leges artis removendae. Ita plethora aut congestio sanquinis praesens exigit evacuationem sanquinis, pro rerum statu iam universalem, iam topicam; victum tenuem, parum nutrientem, vegetabilem; potum refrigerantem; usum remediorum leniter solventium; motum moderatum in aura libera etc. Praesente erethismo commendamus victum magis nutrientem haud stimulantem, remedia roborantia amara, imo tonica; maximi momenti sunt hic balnea frigida. — Stases ac infarctus organorum abdominalium, imprimis vero habituales obstructiones alvinae suo modo removendae. — Causa abortus habitualis saepissime fundatur in utero ipso a normalitate diversimode aberrante, hinc ab anomaliis eiusdem desumimus indicationem. Dum laxitas cum torpore huius organi praesens, indicata sunt balnea martialia, haec tamen caute adhibenda, congestione sauquinis in utero exorta, statim intermittenda. — Compage uteri duriore, praesente simul torpore tractus intestinalis, praeparata Jodii, ususque aquarum Soteriarum, inprimis Egeranae salsae commendatur. — Medendi modus quamcunque rationalis, parum perficiet, ni quoque vivendi ratio therapiae accomodetur. Ante omnia necesse, ut mulier abortum superans, adminus per dimidii anni decursum coitum vitet, ac omnia quae in vasorum nervorumque systema stimulando agunt diligenter evitet. Si dein his omnibus observatis post dimidii aut integri anni decursum mulier relative bona fruetur valetudine, amplectatur, moderate tamen, nec brevi ante menstruationem, virum, at secuta conceptione coitum recuset, ac omnibus regulis diaeteticis sub statu

graviditatis semet accomodet. Tempore quo semel aut saepius abortus contigerat, causae excitantes diligentissime removendae sunt, imo commendatur ut gravida tempore illo lecto horizontali per plurium septimanarum decursum procumbat.

Theses.

1. Coitus causa potens ac frequens abortum provocans.
2. Usus vini crebrior inpotentiam inducere valet.
3. Matrimonium ad longaevitatem multum confert.
4. Allocopathia maxime veneranda, Homoeopathia non vituperanda, Hydropathia non negligenda, verbo Holopathia exercenda.
5. Operationes obstetriciae nisi momento temporis, quo indicantur, instituantur, ut plurimum omni frustrantur effectu.
6. Non aetas sed iudicium facit medicum.
7. Pellices in civitate non sunt tolerandae.
8. Medicus sine Religione, Philosophia, Cognitione naturae vespillo potius — puam medicus est.